



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

Dript, Laurentius a

Paderbornae, 1672

17. Dominus habens 10. famulos, quorum singulis mandat per duas horas successivè in eadem Dominica laborare serviliter, non peccat mortaliter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

PROPOSITIO XVII.

Dominus habens 10. famulos quorum singulis mandat per duas horas successive in eadem Dominica laborare serviliter, non peccat mortaliter.

21. **N**Am nec opus unius cum opere alterius connectitur, etiamsi ita invicem succedat, ut totus dies labori insumatur; & singulorum labor, juxta, modo dicta, exiguus est. Sed quam inutilis hæc sit ratio, ex eo patet, quod talis Herus, ex intentione efficaci cupiat totum diem servilibus operibus insumi, & re ipsa id exequi faciat, per suum mandatum: adeoque sicut qui per famulum suum, alterum interfici curat, coram Deo & mundo est homicida, & magis principalis quam exequens; item qui alteri res suas furto auferri mandat, principalior est fur quam immediatus ex mandato, auferens, ita qui famulum vel famulos suos per totum diem festivum contra divinum præceptum, operibus servilibus insudare præcipit; coram

Q4

Deo

Deo non modo ipse, ex efficaci intentione est totius diei sacri violator, profanator & fur, quod enim quis facit per alium, per se fecisse censetur, Reg. Jur. in 6. Sed & famulos tali prophanationi simul involuit, qui Deo magis obedire tenentur quam præceptis Dominorum: sileo quod Domini ipsi peccent, si famulos vel famulas diebus festiuis laborantes conspiciant, & non corrigant, qui enim non vetant peccare dum possunt, jubent Bald. in L. sicut §. si quid ff. quod cuiusque, adeoque merito facientem & consentientem par poena constringit. c. nuper à nobis de Sent. Excomm.

22. Ad tertium decalogi præceptum spectare etiam observantiam Jejuniorum ab Ecclesia præceptorum dictum est in principio hujus articuli, sed ea non minus à laxitatum fautoribus, quam alia evertitur: Inter articulos enim ab Univeritate Theologica Lovaniensi ad instantiam Episcopi Gandavensis censuratos & damnatos, unus est, qui sequitur:

Propo-